



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Charitativi Svbsidii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

Felin. in cap. quia verissimile num. 3. vers. & de ista renunciatione de præsumpt. licet idem Felinus in cap. Pastoralis nu. 4. de offic. ordin. dicat, quilibet Vivens in mortis articulo esset nam hoc improprie, & largè sumi debet secundum Bart. in l. 1. num. 39. C. de sacros. Eccles. Riminal. conf. 537. volum. 5. & in consil. 775. volum. 7. Burlat. conf. 40. volum. 1. & idem Riminal. conf. 204. volum. 2.

Tertio ad hoc allegatur Bald. in c. 1. ad finem nu. 15. vers. pone statuto de pactis per tex. in l. a lumine §. final. ff. de annis legatis, qui voluit eum in extremis laborare, qui ex ea infirmitate, in qua sit constitutus, decedat absque multis intervalis, qui ideo infert ad statutum requirens præsentiā duorum consanguineorum in contractu illius, qui laborat in ultimo vi tæ spiritu, quam Baldi sententiam singularem dixit Cotta in suis memorialibus in verbo extreme mortis tempore, idem in iisdem memorialibus, in verb. mortis extremum tempus. Felin. in cap. Pastoralis num. 4. versic. quando autem dicatur de offi. iud. ord. l. 1. in l. 1. in 2. lit. num. 28. vers. facit quod singulariter. C. de sacros. sancti, Eccles.

Tertia fuit illorum sententia, qui dixerunt in mortis articulo constitutum dici illum, de cuius corporea salute magis est quod desperemus. Alber. in l. filia mea num. 3. vers. ex hoc quæro ff. sol. matr. Rugerus Roland. in tract. de commissariis, & commissionibus lib. 2. cap. 17. quandoquidem num. 8. vers. sic a medico. Bald. in c. quoniam frequenter nu. 3. vers. secundo ponit exemplum, ut lite non contest. de communi Turret. conf. 15. quo ad primum num. 4. vers. accedat medicorum lib. 1. facit pract. Papien. in titulo forma capitulorum quando testes §. timeatur, & suspicetur, idem voluit Burlat. conf. 165.

Sunt denique, qui tenent, quod nauigans in mortis periculo esse iudicari poterit. Menoch. lib. 2. de arbit. iud. dicto calu. 61. nu. 12. non tamen puto posse dici talem esse in articulo mortis, parturiens quoque satis in mortis articulo dicitur constituta, morti enim est proxima, quæ parit, unde Plutarch. in vita Pompei magni, at cum iterum Iulia prægnans esset filiam enixa ex puerperij doloribus expiravit, & quotidie ipsa docet experientia, atque eo magis si primum emittat fœtum, quod & rectè Myfis ancilla apud Terentium animaduertit, dum actu 1. scena 4. in Andria non satis eo casu de Lesbia confidit ait enim.

*Audiui Archillis iam dudum Lesbiam adduci inbes
Sane Polilla temulenta est mulier, & temeraria*

*Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem
Huic parvuli Dii date facultatem obsecro.*

Maximè si abortiat, in abortu enim vehementiores sunt dolores: sic in proposito Menoch. de præsumption. lib. 6. præsumpt. 52. num. 13. vers. dicebam itaque: sed in articulo mortis ad effectum prædictum, tum puto esse talem parientem, quando primo parit, vel alias experta est partus difficiles.

Prægnans autem non potest dici in mortis articulo, licet quasi valetudinaria appelletur à tex. & Floriano ibi in l. inniti. ff. de testib. l. 2. §. si non propter ff. si quis cautionibus, Felinus in c. quoniam frequenter num. 6. vers. & nota quam mulier, ut lite non contest. idque etiam innuit Iuvenalis satyra prima.

Densissima centum.

Quadrantes lætica petit, sequiturque maritum

Languida vel prægnans, & circumducitur vxor.

Nisi recens grvida esset, quia inter valetudinarias non computatur, vel esset mulier rustica Fulgos. in l. 2. §. sed & si. ff. si quis caution. additio ad Felin. in d. c. quoniam num. 6. in vers. quasi valetudinaria, ut lite non contest.

Addenda est belli calamitas, & pestis, quo tempore dicitur quis esse in mortis articulo. Corn. conf. 131.

in hac consultatione numer. 5. vers. & qui permanet volum. 4. Gomel. ad regulam Cancell. de infirmis resignantibus quæst. 9. versic. circa primum, paribus enim procedunt bellum, & pestis, quippe quæ belli certissima sit species, durissimaq; & acerbissima inter Deum, & homines. Gaill. practic. obseruat. lib. 2. obseruat. 118.

Sed quantum ad effectum absolutionis, tunc puto dici talem in articulo mortis, quando est in conflictu belli, vel quando laborat peste, taliter quod homines in illo statu communiter moriantur, & mors sit quodammodo præsens.

PRAXIS CHARITATIVI SVBSIDII. RESOLVT. XCII.

- 1 Inferiores Episcopis non possunt petere charitativum subsidium.
- 2 Laicus Domino suo subuenire tenetur.
- 3 Inferior Episcopis privilegio, vel consuetudine potest exigere charitativum subsidium.
- 4 Superiores generales religionis possunt exigere charitativum subsidium, & quare amplia num. 5.
- 6 Ecclesiæ patronatæ debent subuenire Dominis suis.

Charitativum subsidium an competat inferioribus Episcoporum.

- 1 Charitativum subsidium non possunt petere inferiores Episcopis, hanc regulam originaliter tenuit expressè Abb. antiquus in cap. cum Apostolus de cens. per tex. in d. cap. cum Apostolus in §. prohibemus in fin. in versic. Arch. siue decani, nullas exactiones siue talias in presbyteros exercere, præsumant reprobatæ glos. ibi in verb. exactiones, hanc etiam opinionem tenet Archid. in cap. iuxta sanctionem 16. q. 1. numer. 1. Holt. in d. §. prohibemus. Abb. in d. cap. cum apostolus num. 6. Belincinus in allegat. tract. de charitat. subsidio q. 4. hanc opinionem dicit esse communem. Boer. in decis. 133. num. 2. eandem dicit etiam communem Chassaneus in consuetud. Burg. in tit. des iustices rub. 1. §. 4. fol. 35. col. 2. nu. 6. eandem opinionem tenet Mauritus in repet. l. vnic. pag. 100. C. quo loco mulieres munera subire soleant lib. 10. quæ opinio approbatur hodie de iure Regio in l. 3. in fin. tit. 23. par. 1.
- 2 Fallit primo in casu ubi laicus Domino suo subuenire tenetur secundum collectarium in cap. conquerrante num. 5. de off. ordin. quem sequitur Gonny. in tractat. de charitat. subsid. q. 28. pag. 91.
- 3 Secundo limita nisi in hoc sit privilegiatus, vel habeat consuetudo: ita tenet Holt. in d. c. cum Apostolus, & ibi Bohic. num. 5. & Abb. num. 6. Boer. in d. decis. 33. num. 2. Maurit. in d. repet. pag. 100.
- 4 Tertio fallit nisi isti essent superiores, & capitula alicuius Ordinis, ut Priores generales totius ordinis tenet id Calderin. in conf. 3. tit. de censibus, quem sequitur Chassaneus ubi supra num. 28. Boer. in d. decis. 133. num. 3. & sic si fecit magnas expensas in promotione pro communi utilitate religionis, poterit exigere charitativum subsidium à tota religione, si non poterit soluere de bonis prælaturæ.
- 6 Quarto fallit in Ecclesijs patronatis, nam debent subuenire Dominis suis, & sic possunt petere charitativum subsidium: ita tenet Inn. in c. cum & plantare de privileg. num. 2. quod est verum interveniente Episcopi consensu, quod etiam sequitur But. ibi num. 19. & ibi etiam Anchar. num. 12.



RESO.

RESOLVT. XCIII.

Charitativum subsidium an Episcopus possit exigere pro expeditione bullarum.


- 1 Episcopus non potest apponere generale interdictum contra denegantes sibi charitativum subsidium.
- 2 Pro nullo commodo pecuniario potest apponi generale interdictum.
- 3 Episcopus potest apponere speciale edictum propter denegatum subsidium.
- 4 Si subditi denegaverint solvere charitativum subsidium, & propter hoc fuissent excommunicati persistendo in contumacia, potest Episcopus apponere generale interdictum contra eos.

An Episcopus possit apponere generale interdictum contra subditos denegantes ei charitativum subsidium.

- 1 Fuit mihi quaesitum in contingentia facti si potuisset Episcopus in casibus in quibus de iure debetur sibi charitativum subsidium contra denegantes illud solvere, apponere generale interdictum in sua diocesi, cui quaesito respondi negativè licet possit eos excommunicare, vt in proprijs terminis notabiliter voluit Barthol. de Belincinis in tractatu de charit. subsidio q. 25. num. 1. pro quo est tex. in extrauag. Bonifacii VIII. incipienti prouide attendentes in tit. de sent. excomm. in communibus, vbi dicit, quod idem est in collectore Papæ exigente decimam
- 2 beneficiorum, quia pro nullo pecuniario commodo potest opponi generale interdictum: ita tenet Io. And. in cap. praesenti de sentent. excomm. lib. 6. Cald. in tract. de interd. par. 1. num. 17.
- 3 Limita primò non habere locum in interdicto speciali scilicet in certa Ecclesia, nam Episcopus potest illud apponere propter denegatum subsidium, quia extrauagans praedicta non habet locum in speciali interdicto, sed in generali: ita Ioan. Andr. & alij Doctores in cap. praesenti de sent. excomm. lib. 6. Cald. vbi supra. Fel. in cap. sane il 2. numer. 3. de off. deleg. Aufser. in tractat. de potest. Ecclesiae super laicos numer. 8. versic. 10. potest Episcopus, de Belincinis in d. tr. q. 36. num. 2.
- 4 Limita secundo nisi subditi denegantes solvere, subsidium prius fuissent propter hoc ab Episcopo excommunicati, quoniam si perseuerent in contumacia non obstant excommunicatione Episcopus poterit apponere generale interdictum, nec obstat d. extrauag. quæ loquitur quando directè, & immediatè apponitur generale interdictum pro commodo pecuniario; hoc autem casu apponitur potius propter contumaciam, & solutio subsidij non est causa immediata, sed mediata, & remota: ita notabiliter concludit Ioan. Cald. in conf. 8. incipienti Episcopus interdicat Ecclesiae in tit. de sent. excomm. vbi dicit hoc esse verissimum, & ita debere intelligi dictam extrauag. quam opinionem sequitur Bartholomeus de Belincinis in d. q. 25. nu. 4. Regnig. de Gonny. in tract. de charitat. subsidio q. 12. pag. 67.

RESOLVT. XCIV.

- 1 Episcopus non potest exigere charitativum subsidium pro expeditione Bullarum.
- 2 Idem non procedit si imminente necessitate, fructus praelaturæ non sufficerent pro expensis bullarum.
- 3 Stante consuetudine potest Episcopus exigere charitativum subsidium pro dictis expensis.
- 4 Consuetudo inducit annuas praestaciones.
- 5 Consuetudo est seruanda, quæ est optima legum interpret.



- 1 Fuit etiam quaesitum an Episcopus possit exigere charitativum subsidium a suis subditis pro expeditione bullarum, & fuit resolutum quod non, per text. in cap. vt praeterita de electione secundum verum intellectum, nam tex. ibid. quod expensæ factæ pro negotio electionis de bonis Patriarchatus fiant totaliter & verbum Patriarchatus exponitur idest de bonis spectantibus ad cameram Patriarchæ futuri secundum Goffredum ibi; & est vera opinio secundum Cardinalem n. 2. q. 9. contra Host. pro qua opinione facit text. in cap. cupientes in §. ad hæc, & in §. fin. iuncta gl. ibi in verb. indicauit de elect. lib. 6. hanc etiam regulam ponit Boer. in decis. 134. n. 6.
- 2 Fallit primo quando fructus praelaturæ non sufficerent pro dictis expensis, & immineret necessitas pro eis soluendis, quia tunc posset Episcopus petere charitativum subsidium iuxta tex. in cap. cum Apostolus de censib. & ita debet intelligi dictum Chaffanæ in consuet. Burg. in tit. des iustices rubr. 1. §. 4. fol. 35. col. 4. num. 36.
- 3 Limita quando esset consuetudo quod pro sumptibus seu expensis praedictis sit contributio facienda per omnes subditos vt tenet Host. But. Anch. Card. & Panormitanus in d. c. vt praeterita. Cald. in conf. 3. tit. de cens. per tex. in c. conquestus q. 3. vbi dicit tex. iuncta gl. in verb. consuetudo, quod ratione consuetudinis potest aliquid peti, facit tex. in cap. fin. 18. q. 11. vbi text. dicit quod monasteria debent exhibere Episcopis consueta seruicia, & ibi gl. 11. dicit quod consuetudo inducit annuas praestaciones, & sic omnes Doctores supra dicti dicunt, quod si apparet de consuetudine illa est seruanda quæ est optima legum interpret, vt in c. cum dilectus de consuetudine, quam limitationem sequitur Boer. in d. decis. 134. n. 7. Gonny. in tract. de charitativio subsidio q. 6. pag. 39. cum duabus sequentibus.

RESOLVT. XCV.

- 1 Charitativum subsidium non potest exigi ultra taxam.
- 2 Stante consuetudine cuius initij memoria non extat exigendi charitativum subsidium ultra taxam, potest exigi.
- 3 Consuetudo inueterata habet vim privilegij à Principe concessi.
- 4 Dicta consuetudo habet vim legis.
- 5 Hoc quod Episcopi possint exigere charitativum subsidium ultra taxam stante consuetudine inueterata non procederet si consuetudo esset generalis.

An charitativum subsidium possit exigi ultra taxam.

- 1 A Quodam interrogatus an charitativum subsidium possit exigi ultra taxam, cui interrogationi negando mihi visum fuit respondere per extrauag. Vas electionis in tit. de cens. in extrauag. communibus in §. praemissis quoque, de qua extrauag. facit mentionem. Boer. in decis. 134. num. 10. Gonny. in tractatu de charitativio subsidio q. 16. circa quam regulam vide Aff. decis. 136. Gram. in decis. 88.
- 2 Hanc regulam ponit de Belincinis in tractat. de charitativio subsidio q. 62. facit pro ea gl. in d. §. praemissis in verb. vel consuetudine, vbi Papa videtur rejicere, & improbare talem consuetudinem facit tex. cum glo. ver. consuetudinis in c. dilecti, & ibi Hostiens. & alij de maior. & obed.
- 3 Fallit primo nisi talis consuetudo esset antiqua, & tanti temporis, cuius initij memoria non sit in contrarium, quia talis consuetudo inueterata habet vim priuilegij.

privilegij à Principe concessi, vt in c. super quibusdam in §. præterea de verb. signif. & in l. ex hoc iure in §. ductus aqua. ff. de aqua quotidiana, & æstua, & ita tenet Abb. in cons. 71. vol. 1. & hanc limitationem quod consuetudo inueterata habeat vim privilegij intelligo verâ in capaci secus tamen in incapaci vt declarat Hypolitus in singul. 80. Reb. in tract. de decimis q. 13. n. 68. Fel. in cap. accedentes n. 6. in 2. limitatione, & in c. causam quæ nu. 2. de præscrip. & ibi Abb. in c. quanto not. 1. de consuetud. Grat. in cons. 6. nu. 20. vol. 1. Baldus in rep. l. Celsus in 3. par. num. 10. ff. de usu capionibus, & supra dicta consuetudo non solum habet vim privilegij, sed habet vim legis vt in l. 1. §. fin. ibi vetustatem legis obtinere, & in l. in summa in principio ibi vetustas, quæ semper pro lege habetur ff. de aqu. pluui. arcend. circa quam limitationem est notandum, quod dicatur spatium tanti temporis cuius initij memoria non extat in contrarium Cynus in l. 2. C. de seruitutibus & aq. num. 9. q. 9. dicit quod spatium tanti temporis cuius initij memoria non extat dicitur spatium centum annorum, quam opinionem sequitur Cepolla in tract. de seru. vrb. præd. c. 19. in principio. Rebuff. in tract. de decimis q. 13. nu. 94. Bertachi. in suo repertorio in verb. præscriptio il. 2. col. 4. Chassaneus in consuet. Burgun. in tit. des iustices §. 2. rub. 1. licet contrarium teneat Fel. & forte male per supradictas auctoritates in c. ad audientiam nu. 27. de præf.

Secundo limita nisi esset consuetudo generalis quod prælati exigeret, seu reciperent charitativum subsidium ultra taxam dictæ extrauagantis quod intelligo de consuetudine generali vniuersalis Ecclesiæ per text. in c. contra morem 100. distin. quam Papa scit, & tolerat, vt per Oldrad. in consil. 254. num. 8. ita etiam tenet de Belencinis in d. q. 112. Gonny. in allegat. tract. de charit. subsid. quæst. 16. in fin. & in quæst. 18. in fin.

RESOLVT. XCVI.

- 1 Charitativum subsidium soluitur habita ratione fructuum perceptorum.
- 2 Appellatione fructuum non veniunt distributiones quotidianæ.
- 3 In condemnatione fructuum perceptorum non veniunt distributiones quotidianæ, ratione seruitij personalis.
- 4 Distributiones non dicuntur de corpore beneficii, sed naturæ diuersæ.
- 5 Fructus dicuntur propriè qui in absentia percipi possunt deductis oneribus.
- 6 Magis laboratur in percipiendis distributionibus.
- 7 Clericus potest testari de distributionibus non de fructibus beneficii.
- 8 Annata dimidia, quæ soluitur in Cancellaria non soluitur de distributionibus.
- 9 Non præstantes iuramentum fidei personaliter prouisi de beneficiis non faciunt fructus suos, quod non procedit in distributionibus.
- 10 In contributione faciendâ pro seminario non includuntur distributiones quotidianæ.
- 11 Compositio debet fieri de fructibus male perceptis, non autem de distributionibus num. 12.
- 12 Ex distributionibus quotidianis non debetur charitativum subsidium.
- 13 Indultum de lucrandis fructibus in absentia non extenditur ad distributiones.
- 14 Indultum de lucrandis distributionibus in absentia capitul. consistentes in pecunia non quæ consistunt in pane, & vino, secus si omnes consistunt in pane, & vino, num. 16.
- 15 Scholares operam literis dantes non possunt percipere distributiones etiam de licentia Papæ, numer. 18. quod

- etiam procedit in Canonico Lectore Sacre scripturæ, num. 19.
- 20 Celebrans Missam tempore horarum non percipit dictas distributiones.
 - 21 Absentes in mensibus permissis distributiones non recipiunt.
 - 22 Præbendati associantes suum Episcopum extra Ecclesiam non lucrantur distributiones.
 - 23 Absentes ob negotia Ecclesiæ, vel sua non recipiunt distributiones.
 - 24 Distributiones quotidianæ non sunt in congrua portione computandæ.

An charitativum subsidium debeat de distributionibus quotidianis.

- Respondi negatiuè, quia charitativum subsidium soluitur habita ratione fructuum perceptorum, & distributiones distinguuntur à fructibus, quod probatur infra scriptis medijs primò, quia licet dentur beneficiati propter beneficium, fructus tamen non sunt, c. vnicò de cleric. non residentibus lib. 6. vbi latè Prob. in additionib. ad Monach. num. 53. Oldrad. consil. 118. a. num. 1. & per totum Rot. decif. 8. num. 1. de præb. in nouis, & decif. 33. num. 1. & 2. de sentent. & re iudic. in antiq. Cassad. decif. 6. num. 6. de præb. Couar. lib. 3. variar. c. 13. num. 1. Lup. in l. 20. glo. fin. in fine tit. 16. parte 1. Puteus decif. 489. nu. 3. lib. 2. de Grassis decif. 5. num. 1. de præb. Rot. decif. 130. n. 1. par. 1. diuers. Guttier. tit. 8. n. 2.
- Hinc in condemnatione fructuum perceptorum, non veniunt regulariter distributiones quotidianæ, nec ad illas se extendit condemnatio, quia tales distributiones non sunt de corpore beneficii, sed dantur ratione seruitij personalis laboris, & mercedis, Boer. decif. 340. cur statutum, vel consuetudo, nu. 4. Caputaq. decif. 29. num. 1. par. 1. Puteus decisione 383. num. 1. lib. 1. Rota decif. 1170. num. 2. par. 3. diuersor. Lancell. de attent. 3. par. c. fin. num. 31. & sequentib. vbi num. 36. dicit, quod condemnatio fructuum intelligitur de perceptis iure ordinario, non autem iure speciali, allegans Cottam decif. 781. Par. decif. 489. num. 5. in fin. lib. 2.
- Distributiones namque non dicuntur de corpore beneficii, sed sunt de diuerso genere, & diuersa natura, nec augent corpus præbendæ, ex quo dantur ratione operæ, & ministerij personalis. Oldrad. d. consil. 118. num. 4. Rota decif. 8. num. 1. de præb. in nouis. Staph. de literis gratiæ in §. noua forma expectatiuarum, n. 45. & 46. Rot. decif. 402. n. 4. par. 1. diuersor. de Grassis decif. 5. n. 4. de præb.
- Fructus verò sunt propriè illi, qui deductis cunctis oneribus recipi possunt in absentia, & non residendo. Gomez. in reg. de valore quæst. 8. num. 3. in tract. de expectatiuis, num. 104. Mohedan. decif. 16. numero 1. de præb. Par. decif. 494. numero 2. 3. & 6. lib. 2. Achilles decif. 1. num. 2. super regul. de valore.
- Vnde cum in percipiendis distributionibus magis laboretur plenius acquiruntur, quam fructus, & ita de illis potest clericus vt verus dominus liberè testari, licet non possit de fructibus. Gemm. in ca. vnic. §. qui verò, num. 3. Anchar. decif. 161. num. 4. post alios ab eis allegatos de cleric. non residentib. & facit decisio. Caputaq. decif. 92. nu. 3. par. 1. nec mirum, quia potius ratione operarum impenfarum, quam ratione præbend. Rot. decif. 26. sub nu. 1. ante medium, vers. respondebatur, de præb. in nouis tradit etiam Redoan. in tr. de spolio Ecclesiæ, q. 10. n. 28. Couar. in cap. cum in officiis, num. 4. de test.
- Quibus confert, quod quamuis in Cancellaria Apostolica sit soluenda dimidia annata hoc est dimidia

- dia pars fructuū vnius annui beneficij a Sede Apostolica collati, cuius valor excedit 24. ducatos de Camera, tamen ad hunc effectum, vt passim videmus non taxantur distributiones cum longe a fructibus distent, nec de distributionibus annata soluitur, & propterea nulla annata soluitur de Canonicatibus Basilicæ Sancti Petri Urbis, quamuis ad ferè mille ducatos ascendat valor, nec Ecclesiæ Toletanæ, & Hispaniæ, ac aliarum, quæ ascendunt ad ducatos duo mille vna, cum distributionibus, nam ad hunc effectum solum, exprimitur valor 24. ducatorum, eo quod si non resident nihil valent. Gomez. in reg. de valore, q. 8. ante finem, versic. quia clarum est Aragon. 58. manuscript. Gutierrez in q. Canonica 1. num. 122. lib. 1. Parisius de resign. lib. 10. q. 2. num. 69. licet in Canonicatibus Cathedralium Cordubæ, & Salamantin. Hispaniæ aliud sit ex eo quod illorum valor consistit in magna parte fructuum ratione præfimoniorum annuorum teste decisione 1408. incipit Fab. par. 3. lib. 3. diuersi. in impressis.
- 9 Similiter quamuis prouisi de beneficijs non faciunt fructus suos, donec iuramentum fidei personaliter, & non per procuratorem præstiterint, vt disponit Concil. Trid. sess. 24. c. 12. de reform. versicul. prouisi etiam, distributiones, tamen acquirunt, & faciunt suas, quamuis non iurauerint, vt declarauit Illustrissimi D. D. Cardinales in hæc verba. Congregatio censuit distributiones quotidianas non comprehendit sub verbis Concilij hic, quoniam dantur ratione ministerij personalis, & propter operas suas & illas percipiens facit suas.
- Similiter Mandos. consil. 15. num. 2. & ante nu. 5. & per totum consuluit quod Concil. Trident. sess. 23. 10 cap. 18. de contribut. faciend. pro seminario non comprehendit distributiones quotidianas.
- 11 Pariter, qui possidet beneficium vigore gratiæ ab Ordinario obtentæ, licet in noua prouisione, Papæ teneatur narrare fructus, quos percipit, & de illis se componere cum Camera Apostolica aliàs gratia erit nulla, Puteus cum alijs decis. 26. nu. primo.
- 12 Secus tamen est in distributionibus quotidianis Cas. sad. decis. 6. in princip.
- 13 Et sic deueniendo ad casum nostrum ex distributionibus quotidianis non debetur charitatiuum subsidium inspecto iure communi, nisi contrarium fuisset sanctum, de Belenc. in tract. de char. subsidio q. 75. num. 1. & 2. Lapsus alleg. 136. numero 7. per totum Mandos. consil. 15. num. 4. Mant. consil. 1. lib. 1. post num. 89. ver. non obstat 4. vbi idem de decimis dicunt.
- 14 Sicut etiam indultum concessum ad lucrandum, fructus in absentia non comprehenderet distributiones glos. ver. adiuerint in c. vnico de Cler. non resid. in 6. & ibidem Prob. num. 50. in fine Cas. decis. 1. cod. tit. Conar. lib. 3. var. c. 13. num. 2. ad medium vers. sed quamuis Princeps.
- 15 Immo si indultum esset ad percipiendas etiam distributiones quotidianas in absentia priuilegiatus illius vigore haberet tantum illas, quæ sunt in pecunia, non autem panem, & vinum, & alia similia quæ in denarijs non consistunt secundum Archid. in c. sacerdos n. 3. q. 2. & in c. vnico sub. n. 1. versic. non tamen talis percipiet victualia de cler. non resid. in 6. quem sequitur Lup. in l. 19. glos. las distributiones vers. & bene nota. tit. 16. partita 1. vbi declarat procedere quando quædam essent in pecunia, & quædam in pane, & vino secus si omnes essent in pane, & vino, & similibus, & nullæ essent pecuniæ argum. leg. fundus qui locatus est 24. cum leg. seq. ff. de fund. instruct. l. quib. diebus 40. §. Dominus, vbi notat Bart. ff. de condit. & demonstrationibus.
- Quibus annexo quod literis operam dantes, vel

magistri docentes in aliqua Academia ad maiorem vtilitatem Ecclesiarum, licet in absentia possint recipere beneficiorum fructus non tamen prædictas distributiones c. licet 32. & ibi gl. ver. distributiones de præb. Conar. d. lib. c. 13. num. 2. post principium.

18 Quod etiam procedit quamuis de licentia Papæ sit absens studiorum causa, vt censuit Congreg. Sacri Conc. declarans c. 3. sess. 21. de ref. dicens sic.

Absentia causa studiorum etiam obtenta a Sede Apostolica non excusat ab amissione istius tertie partis detractæ, sicuti nec excusat ab amissione cæterarum distributionum quotidianarum.

19 Idemque erat dicendum de Canonico lectore sacra Scripturæ in qualibet Ecclesia, iuxta formam c. 1. sess. 5. Conc. Trid. nisi Papa Greg. XIII. de gratia speciali illas condonasset, vt dixit eadem Sac. Congreg. sub his verbis.

Idem censendum est de docentibus in Ecclesijs, qui quamuis a seruitio chori absentes essent possunt percipere fructus suorum canonicatum exceptis quotidianis distributionibus, sed ex gratia diebus quib. legunt habendi sunt sicut præsentibus in choro, & inferuientes non modo pro illis horis, vt si mane legunt pro horis matutinis, & missa solemni sed etiam pro tota die vt declarauit S. D. N. Greg. XIII.

20 Fuit etiam declaratum quod celebrantes missam priuatim tempore horarum non debeant habere præfatas distributiones vt sequitur.

Qui tempore, quo cantatur vna hora in choro, missam celebrat in eadem Ecclesia, vel deuotione, vel obligatione non dicitur interfuisse illi horæ, nec illius distributiones accipere potest, si vero iussus fuerit a superiore vt celebraret tunc reciperet, superior tamen debet cauere a tali iussione.

21 Eadem & maiori etiam ratione, qui absunt tribus mensibus a Conc. Trid. concessis per c. 12. sess. 24. de ref. nequeunt pro illo tempore consequi quotidianas distributiones, vt etiam declarauit Sac. Congreg. 3. Aug. 1586.

22 Nec prætermitto quod præbendati associantes suum Episcopum extra Ecclesiam non lucrantur distributiones c. de cætero c. ad audientiam de cler. non resid. l. fin. tit. 16. par. 1. Boer. decis. 17. nu. 12. ac declarauit ead. Congregatio sacra sic.

Non possunt Canonici videlicet duo, aut plures associantes eorum Prælaturam quandoque volentem, audire missam non in Cathedrali, sed in alia Ecclesia ciuitatis participes fieri distributionum quotidianarum, quæ non nisi præsentibus, & inferuientibus datur.

Accedit tex. in c. cum non deceat 3. de elect. lib. 6. ibi quotidianis distributionibus duntaxat exceptis 23 vbi habetur quod absentes a suis Ecclesijs, & ad Curiam accedentes pro vtilitate Ecclesiarum debent habere fructus, non tamen quotidianas distributiones Boer. d. decis. 17. num. 16.

24 Nec in congrua portione assignanda sunt computandæ quotidianæ distributiones. Rebuff. in tract. de cong. port. q. 8. nu. 83. & 86. Rota decis. 5. num. 4. & per tot. part. 2. diuersi. de Grassis decis. 6. num. 12. & 13. de præb. & passim seruat. Rota.

PRAXIS CENSVS.

RESOLVT. XCVII.

- 1 Contractus emphyteoticus supponit dominij concedentis.
- 2 Qui vult consequens, vult etiam necessarium antecedens.
- 3 Enunciatiua in contractibus, probat inter ipsos contractantes, donec contrarium probetur.
- 4 Per inuestituram non probatur dominium, nisi aliunde constet.

5 An-